

ORDINARIUS
SENIOR ET RELIQUI DOCTORES
FACULTATIS IURIDICAE
LIPSIENSIS
PROCANCELLARIO
D. AVG. FRIDERICO SIGISMUNDO
GREEN

SUPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS ET COLLEGII IURIS
CONSULTORVM LIPS. ASSESSORE, SENATVS LIPS.
SYNDICO ET SENATORE

SVMOS IN IVRE HONORES

CVM SPE

SVO TEMPORE LOCVM IN COLLEGIO

OBTINENDI

PRAECLARISSIMO CANDIDATO

DANIELI EBERHARDO LOEHR

IURIS VTRIVSQUE BACCALAVREO

LIPSIENSI

A. D. XVII. IULII MDCCLXXXV

COLLATOS

INDICVNT



Diss. jur. civ.

487,32

SENIOR LIAISON DOCTORS
FACULTY & MEDICAL
PROFESSOR CELLARDO
D'ATTELLI RICO SERRANO
GREEN
BYNOS
EVO TEMPTON LOCAL IN COLLEGE
DANIELI MERRILL DO LOBER
A. D. WILLIAMS
COLLEGE

De portione coniugum statutaria intuitu immobilium secundum statuta loci, ubi sita sunt, constituenda.

Successionem ab intestato in immobilia legibus atque statutis loci, ubi sita sunt bona, regi, est communis Doctorum sententia^{a)}. PUFENDORFFIUS vero et alii ab eo excitati magni nominis Iurisconsulti hoc negant, et successionem in immobilia, non minus ac in mobilia, ex legibus domicilii defuncti, siue quibus subiectus fuerit, procedere asserunt, hac solummodo limitatione admissa, si statutum loci, ubi bona sita sunt, omnem aliam succedendi rationem, ipsi contrariam,

A 2

expres-

a) I. VOET. ad Pand. Tit. de const. Pr. P. II. de statut. — HUBER Prael. ad Pand. Tit. de leg. SCus de conflictu leg. §. ult. GAIL. L. II. obs. 124. CARPZ. P. III. Const. 12. d. 12. ID. Lib. VI. resp. 39. MEY. ad Ius Lub. Qu. prael. 6. n. 10. f. STRYK de success. ab int. diff. 1. c. 4. §. 2. I. H. BOEHMER Consult. et Decif. T. III. P. I. 126. R. II. P. II. 379. P. III. 582. 6. 630^b II. MENKEN Pand. L. 38. d. Success. Iur. noviss. inf. BERGER Oec. Iur. L. II. T. 4. th. 46. n. 6. WERNHER P. VI. obs. 288. HOMMEL Rhaps. obs. 175. CAR. CHR. HOFACKER Princip. iur. rom. Tubing. 1783. f. T. I. §. 140.

expressis verbis prohibuerit. ^{b)} Grauiissima videntur argumenta, quibus vtuntur, ex natura rei petita. Ipsis enim statuta, quae de successione agunt, sunt personalia, non tam rei, quam personae data, cum heres in vniuersum ius defuncti succedat, adeoque eius personam in patrimonio referat, et illum qua patrem familias repraesentet; itaque nihil rei magis conuenire, quam vt heres ab ea ciuitate designetur, in qua defunctus vitam egerit, et cui ciuitati vt pater familias subiectus fuerit, videlicet, vbi domicilium habuerit; ciuitatem autem, in qua fortassis bona possederit defunctus, successorem quidem singularem, vt in feudis, ei substituere, non autem patrem familias defuncto subrogare, et familiae, in quam illi ciuitati potestas non sit, nouum dominum constituere. Vrgent praeterea, non res singulares, sed vniuersitatem bonorum, iure hereditatis deferri, nec vnus personae duo vel plura patrimonia esse videri, neque paganum partim iure testati, partim

b) PVFENDORFF. Tom. I. c. 28. CUIAC. Consult. 25. HERTIVS Diff. de collisione legum Sect. 4. §. 9. et 40. in Ei. opusc. Vol. I. Tom. I. p. 177. f. SCHIETER Inst. Iur. Can. Lib. I. Art. 18. §. 17. I. H. BOEHMER Iur. Eccles. Protest. T. II. L. III. Tit. 27. §. 16. GODOFR. LVDOV. MENKEN in Diff. de statutis ciuitat. prouinc. in success. ab intest. ad bona etiam alibi sita secundum ius Ciu. extendendis, in Ei. opusc. n. 7. §. 7. sqq. NETTELBLADT in Diff. de port. coniug. statutar. Lubec. C. V. §. 10. Conf. IVSTIN. FERD. HAMM. in Tr. De statut. collis. et praeser. in caus. success. ab int. Erlangae 1792. Cap. II.

tim intestati, posse decedere. Denique successionem secundum statuta domicilii in bona alibi sita ex praesumpta defuncti voluntate deducunt, cum pater familias sua sponte ab intestato succedentibus legitimam hereditatem relinquere, quilibet autem statuta domicilii sui scire, extranea vero ignorare censeatur; ergo illos, qui successionis ordinem ad iura loci rei sitae componant, paradoxon alere videri, quod non ex voluntate, sed ex ignorantia defuncti, hereditatem successoribus deferant. Quibus rationibus permotus PUFENDORFFIVS^{d)} statuit, civitatem, ubi bona sita sint, naturaliter obligari ad iura domicilii in ista causa individua successionis ab intestato admittenda, praesertim cum et testamentum defuncti, legitime confectum, alibi valeat.

In Saxonia quidem Electorali communis illa Dd. sententia lege publica est approbata, et in Decisione LIV. d. a. 1661. expressis verbis sancitum: *dass die Grundstücke und Immobilien nach des Orts, darunter sie gelegen, Statuten und Herkommen in allen Fällen zu achten.* Cum autem MENKENIVS^{e)} neget, huius legis sanctionem, tanquam ius singulare continentem, ad alias prouincias esse trahendam: nos e contrario iure defendere nobis videmur, hanc Decisionem Electoralem minime ius nouum

A 3

statue-

c) MENKEN cit. diff. §. 13.

d) cit. obl. 28. §. 8.

e) all. diff. §. vlt.

statuere, sed mores maiorum et iuris patrii praecepta tantummodo confirmare, adeo, ut si vel plane deesset huius legis dispositio, nihilominus successio ab intestato in immobilia non nisi ex statutis loci, ubi sita sunt, foret diiudicanda.

Ipsa enim naturalis ratio docet, leges istas particulares, quas statuta appellamus, et quae vel expresso vel tacito Principis consensu nituntur, non solum personas obligare, sed et res afficere potestati eiusdem loci subiectas. Itaque statuta, de ordine succedendi condita, sine omni dubio de bonis agunt, quae sub ditione eiusdem ciuitatis sita sunt, et his dant successorem legitimum. Haec ergo statuta sua natura sunt mere realia, ut Dd. vocant, non personalia, siue formula eorum in rem, siue in personam sit concepta. Nec haec legis dispositio cessat, si defunctus immobilium possessor alibi domicilium constituit. Deest enim obligatio, cur ciuitas intuitu rerum, quae eius potestati subsunt, de iure suo cedat, illasque alius loci legibus subiiciat. Nam statuta domicilii, uti omnes leges particulares, in ea solum valent ciuitate, in qua recepta sunt, et ultra eius limites proferri, aliique ciuitati, nisi ita conuenerit, obtrudi nequeunt. Potius mihi persuasum est, mobilium quoque successionem secundum statuta loci, ubi deprehenduntur, diiudicandam fore, nisi per vnanimem in foro receptam sententiam, et ita per consuetudinem contrariam, intuitu mobilium, iura domicilii praeualerent.

Haec

Hæc, quæ diximus, iuri patrio antiquo conuenire, vel ex eo patet, quod maiores nostri conciuēs solum ad successio- nem admittebant, hereditatem autem ad peregrinos transire haud patiebantur, et hos potius ab ea arcebant, quod iuri de- tractus originem dedit. ^{f)} Neque minus *Ius Prouinciale Saxo- nicum* præcipit, vt ad iura prouinciae, vbi res sita est, non personae, nec domiciliū, sit respiciendum, verbis: *der Koenig soll richten um Eigen nach des Landes Recht, da es innen liegt, und nicht nach des Mannes Recht,* ^{g)} et: *Ein ieglich einkommen Mann empfähet Erbe in dem Lande zu Sachsen nach des Landes Recht, und nicht nach des Mannes Recht, er sey Bayer, Schwabe, oder Frank.* ^{h)}

Ad argumenta contraria quod attinet, ante omnia mo- nendum videtur, hanc controuersiam non ex Romani, sed Pa- trii iuris, principiis esse decidendam. Secundum hæc autem, quia cuiuslibet loci statuta ex natura legum de bonis ibi sitis valent, domiciliū vero iura, vti supra iam monuimus, alii ci- vitati inuitae obtrudi nequeunt, hoc respectu non vna, sed, pro diuersitate locorum et iurium, plures statuendæ sunt heredita- tes, plura defuncti patrimonia, plures heredes, quorum qui- libet

f) III. RVNDE Grundsätze des deutschen Privat-Rechts B, 2. Absch. 2. §. 325.

g) I. P. S. L. III. Art. 33.

h) I. Pr. Sax, Lib. I, Art. 30.

libet iure loci, vbi immobilia sita sunt, succedit; i) et iure nostro casus saepius euenire potest, et solet, quo, contra doctrinam iuris Romani, paganus partim iure testati, partim intestati, decedit. k) Si vrget, hereditatem referre personam defuncti, et ad huius iura esse respiciendum, hoc quidem lubenter concedo. Sed ipse defunctus fuit membrum ciuitatis, in qua fundos possedit, et quoad haec immobilia omnino legibus atque statutis eius loci subiectus, quibus tacite, saepius expresse, imo iurato, se submisit, quae ergo et intuitu successionis sunt seruanda. Si ad voluntatem defuncti prouocas, nego, praesumptionem pro iuribus domicilii esse fortiozem. Quum enim loquimur de eo, quod sit vt plurimum, vtriusque loci statuta, quae ignorare licet, ipsi fuerunt incognita; si autem praesumptioni aliquid demus, potius assumendum erit, eum, qui de bonis suis haud disposuit, immobilia ad illos transire voluisse, quos statuta loci, in quo sita sunt, ad successionem vocant. A successione testamentaria argumentum in contrarium non potest duci, quia hic modus, heredem legitimum excludendi, vbique receptus est. Ipse PVFENDORFFIUS bene perspexit, his rationibus instituta iuris patrii haud infirmari, ideoque ad naturalem obligationem prouocauit. Sed eiusmodi obligatio, qua leges vnus ciuitatis in fauorem alterius suspendantur,

i) VOET ad Pand. Lib. I. Tit. 4.
P. 2. §. 8. Tom. I. p. 43.

k) PEREZ. in Codicem L. VI. T.
23. §. 24. inf.

dantur, et statuta domicilii contra naturam suam in alium locum extendantur, si vnquam adesset, saltem summam necessitatem supponeret; ob solam vero utilitatem admitti non posset, cum valde durum et iniustum sit, leges vnus loci, ideo, quia ab aliis ciuitatis statutis differunt, vi sua et efficacia in bonis iis subiectis priuare. Profecto incommoda, quae ex diuersa ratione succedendi oriuntur, vt in Saxonia Electorali quotidiana experientia nos edocet, non ita sunt comparata, vt inde locus rei sitae ad remittendum de iure suo naturaliter obligetur. Est itaque potius argumentum ita dictum suadens, quo Vir summus vtitur, quod vero ius inter partes non constituit.

Ex iisdem rationibus et intuitu successionis coniugum communis sententia, quam dicta Decisio El. LIV. de nouo confirmavit, est praeferenda. Licet enim vxor per conditionem matrimonii se suaque bona legibus domicilii mariti submittere videatur,^{l)} et in lege Electorali expressis verbis sit dispositum: *wenn des Orts, da der verstorbene Mann wohnhaftig, wie es disfalls gehalten werden soll, eine Willkühr oder beständige Gewohnheit vorhanden und eingeführt, dass denselben nachgelebet werden soll;*^{m)} tamen haec, vt ex supra deductis patet, solum de mobilibus, et de praediis in loco domicilii sitis, sunt intelligenda, ad immobilia vero, alibi sita, minime extendenda, in quibus

potius,

l) a. l. 65. D. de iudiciis.

m) Const. El. 20, P. III.

B

X

potius, nisi de contraria voluntate, pactis, vel ultima voluntate verbis expressis declarata, constet, uxorem statuta loci seruare voluisse praesumendum; cum pacta dotalia nec ad bona alibi sita simpliciter sint trahenda, neque renunciationem portionis statutariae inferant, si coniux citra locum domicilii possessiones acquirat, vbi eadem portio viget. ⁿ⁾

Superstes itaque coniux succedit in immobilia ex loci, vbi sita sunt, statutis; et cum in his summa varietas deprehendatur, fieri non potest, quin ratio succedendi in eiusmodi bona, et sic ipsa statutariae portionis computatio valde differat. Non solum enim quantitas portionis, quae in quibusdam statutis Constitutioni El. 20. P. III. conuenit, et existentibus liberis Quarta, deficientibus autem Tertia bonorum pars est, in aliis indistincte ad Tertiam, imo ad Dimidiam aucta; sed et ipsa portio ex aliis statutis vel sine collatione, vel non nisi sub hoc onere debetur, et hoc casu viduae facultas, vtrum, missa statutaria portione, dotem et illata repetere velit? vel denegata, vel relicta est.

Si igitur statutis certa portio determinata, collationis vero nulla mentio facta est, haec merito cessat, et coniux illata repetit, portionem autem ex solis mariti bonis consequitur. ^{o)}

Quum

n) Ill. PÜTTER *Auserlesene Rechtsfälle B. II, Resp. 209. 1b. gen. 1.*

o) HOMMEL *Rhapsod. obl. 84. Ill. Chr. Gottfried HERMANN Pr. Quate.*

Quum vero in statutis, in quibus certa portio sub onere conferendi viduae tribuitur, potestas repetendi illata expressis verbis non concessa est; tum contenta esse debet hac quota, lege municipali determinata, nec bona sua repetere potest, per Rescriptum CHRISTIANI II. Electoris d. 15. Decbr. 1606. ^{p)}

Hoc onus collationis, quod viduae, vel in statutis, vel iis deficientibus, lege publica, Const. Elect. 20. P. III. est impositum, et quod non in Saxonia Electorali solum, sed et extra illam, locum obtinet, ^{q)} omnia bona eius afficit, nullo habito respectu, siue in territorio Summi Electoris, siue alibi, sita sint. ^{r)} Id enim non solum verba dictae Const. 20: *und die Frau alle ihre eingebrachte, anererbte, und andere Güther zusammt der Gerade in die gemeine Theilung zu bringen schuldig seyn soll,* docent, sed et ipsa ratio legis idem postulat. Nititur enim hic modus succedendi bonorum communiōe inter coniuges, B 2 quae

Quatenus vidua, ex statuto locali in Electoratu Saxonico succedens marito, ad collationem bonorum sit obstricta. Lips. 1792. SCHOTT Instit. iur. Sax. Elect. edit. Ill. Chr. Gottl. HAVBOLDI L. II. S. 4. M. I. 6. 2, §. 25. n. 8. lit. β. p. 311.

p) Cod. Aug. T. I. p. 168. et 1054. (conf. Ill. HERMANN c. Pr. p. 6.

q) Ill. C. Fr. WALCH De collatione ad capiendam portionem statutariam necessaria, in Opusc. T. II. S. 2. Exerc. 5. p. 223.

r) CARPZ, P. III. Const. 20. def. 24. BERGER Oec. Iur. L. II. T. 4. th. 45. ICTI TVBING. Vol. II. Conf. 78. n. 36. f.

quae olim in Saxonia obtinuit, dein vero in defuetudinem abiit, in fauorem autem statutariae portionis adhuc adesse fingitur. Res ipsa vero loquitur, viduam, quae ex hac ficta bonorum communione commodum, nempe portionem statutariam ex omnibus mariti bonis lucrari velit, etiam ad conferenda sua bona omnia, vbique locorum sita, obligatam esse. ^{s)}

Portio statutaria, aequae ac legitima, est aes alienum, quod adpellant legis non hominis, quod scilicet legis beneficio ex hereditate debetur, nec a testatore minui potest; ^{t)} ergo vtraque pro ratione totius hereditatis aestimanda, ita, vt neutra prae altera deducatur, nec illam minuat. ^{u)} Et quamuis dos atque illata, quae vidua, portionem capiens, confert, partem patrimonii defuncti haud constituerunt, potius vt aes alienum hominis ante omnia detrahenda videantur, antequam legitima constitui possit: tamen cum vidua ad illa conferenda, *in gemeine Theilung zu bringen*, sit obligata, haecque collatio ad tempus mortis defuncti mariti retrahatur, et ita augeatur hereditas, aes alienum vero per confusionem extinguatur, aequitas

s) Ill. WALCH. cit. Exere. 5. Conf. I. E. B. EMMINGHAUS *Rechtliche Erörterung der Frage, in wie ferne die noch nicht anerkannte statutarische Portion auf die Erben übergeben?* Weimar 1784 8. §. 5. p. 16. §. 15. p. 51.

t) l. 8. §. 15. D. de inoff. testam. Const. El. 7. P. III.

u) CARPZ. Lib. VI. Resp. 48. BERGER Oec. Iur. Lib. II. Tit. 4. th. 16. n. 6. WERNHER P. I. obs. 190. P. III. obs. 47.

quitas mihi suadere videtur, vt et conferenda viduae in constituenda legitima computentur.

E contrario liberi quidem Iure Romano solum sibi inuicem, minime vero extraneae personae, a defuncto accepta conferebant. Cum autem iure nostro per collationem viduae hereditas ab iis diuidenda augeatur, Collegium nostrum aequum duxit, vt in computanda eius portione et conferenda liberorum in censum veniant. v)

Ex natura quoque portionis statutariae fluere mihi videtur, eam de singulis rebus hereditatis deberi, nec viduae invitae alias res, vel pretium pro ipsa parte rerum, obtrudi posse. Si enim originem huius portionis respicimus, in ficta illa bonorum communione quaerendam, portio omnia bona afficit, et ad eorum partem lege, vel statuto, restricta est. Ista vero pars non in quantitate, vel re singulari, sed in quota vniuersae hereditatis et omnium bonorum consistit, quod etiam patet ex verbis Const. El. 20. P. III: *So soll das Weib, nach Bezahlung der Schulden, aus allen ihres verstorbenen Mannes Gütern den vierten, (oder dritten) Theil nehmen und haben.* Deinde, vt iam supra demonstraui, portio statutaria eodem iure gaudet, ac legitima; vtraque enim est aes alienum legibus definitum. Iure itaque ab hac ad illam argumentum ducere licet.

B 3

Legi-

v) S. R. Henr. Gottfr. BAVER Respons. 16. I. Flor. RIVINVS in Progr. Lips. 1741.

XIV

Legitima vero *ex ipsa substantia mortui* praestanda est, nec vice rerum pecunia peti aut cuiquam obtrudi potest. x) His argumentis motus, a sententia MENKENII, qui in loco infra excitato hoc ius ad statutariam portionem extendendum esse, et coniugem in singulis rebus hereditariis ratam habere negat, discedendum esse duco, et CARPZOVII BERGERIQUE sententiae, qui in bonis ipsis, non in aestimatione eorum, quartam constitui euincunt, y) subscribo. Hocque verum esse censeo, licet coniux superstes, portionem capiens, statuto loci ab onere collationis liberetur. Multo magis itaque locum inveniet, si ipsa ex dicta Const. El. aut statutis succedat, quibus cuncta sua bona in communem massam diuidendam immittere iubetur. Tunc enim non solum ius, sed et summa aequitas postulat, ut in hereditate mariti, per illata bona viduae aucta, haec eodem iure fruatur. Diuisio itaque hereditatis cum vidua aequae ac cum aliis heredibus, quibus debetur quota, procedet; et qui hac ratione in communionem rei alicuius singularis incidunt, iis ad vltiorem diuisionem prouocare licet; si vero rei vel fundi conditio hanc non recipit, ut per sortem, aut instituta priuata licitatione, alteri res, alteri vero eius pretium, adiudicetur, petere possunt,

x) l. 36. C. de inoff. test. l. 2. §. 1. y) CARPZ. Dec. Illustr. P. II. Dec. D. de reb. cred. MENKEN Pand. L. 164. BERGER in Resol. Leg. obst. V. T. 2. §. 13. adiect. Progr. A. p. 768.

Si

Si itaque bona immobilia in hereditate deprehenduntur, alibi sita, et legibus intuitu successionis a statutis domicilii diversis subiecta: caute procedendum erit, ne vidua per collationem, non rite factam, damnum incurrat, et eius coheredes iniustum lucrum capiant.

Vidua enim, si ei collatio est iniuncta, obligatur quidem, vti supra diximus, ad omnia sua bona, vbique locorum sita, in hereditatem mariti immittenda; sed haec omnium-bonorum collatio supponit, vt ex vniuerso patrimonio mariti, *aus allen ihres verstorbenen Mannes Güthern*, deducto aere alieno, portionem capiat. Ex hoc vero prono alueo fluit, viduam, quando de successione in partem facultatum defuncti quaestio est, et ad partem solummodo bonorum suorum conferendam vi correlatorum teneri.

Ad euitandam igitur laesionem necesse est, vt in constituenda massa hereditatis, bonorum, pro diuersitate iurium, quibus in illa succeditur, ratio habeatur, et haec bona, vt partes intellectuales, siue quotae, totius patrimonii, in computum veniant. Pari modo cuncta bona viduae conferenda totum constituunt, quod eadem ratione, atque hereditas mariti, in partes intellectuales est discernendum.

Et ita demum, bonis vtriusque coniugis hoc modo inter se comparatis, ac aere alieno pro rata partium deducto, ipsa collatio et portio statutaria erui potest.

Si

Si enim ponimus hereditatem, cuius duae tertiae ex statuto loci viduae pro dimidia parte sine onere collationis deferuntur, trientis vero ex aliis legibus partem quartam et tertiam collatis bonis accipit: coniux superstes solum intuitu huius trientis tertiam partem bonorum suorum confert, et secundum leges municipales tertia et quarta huius partis bonorum mariti portionem statutariam constituunt.

Exemplum rem illustret. Molendinum prope oppidum Taucham situm, haud latifundium, tam diuersis partibus constat, ut successio in ipsam molam aquariam cum aedibus, quae habitationi inseruiunt, ex praescripta consuetudine pagi Ploesfen, in praedium vero adiacens cum ea coniunctum, *das Guth*, e legibus municipii Tauchae, diiudicanda sit; denique in molam pneumaticam, quae etiam pertinentia fundi est, nec longe distat a principali, successio ex Constitutione Elect. 20. P. III. locum habeat. In pago Ploesfen autem, ut in pluribus aliis pagis iurisdictioni Senatus Lipsiensis subiectis,²⁾ vidua dimidiam ex bonis mariti, sine onere collationis, Tauchae vero, praeuia collatione, tertiam partem indistincte, et Iure Electorali communi, liberis existentibus, bonis quoque collatis, quartam capit. Fac itaque casum, possessorem molae Tauchensis relictis vidua et filio decessisse, et bona eius, deducto aere alieno, 1500. thal. aestimanda esse, quorum ipsa mola aquaria, et qui-

²⁾ Ill. HERMANN cit. Progr.

quidem, cum defunctus in eius aedibus domicilium habuerit, cum mobilibus nominibusque, 1000 thaleros, ergo duas tertias, $\frac{2}{3}$, siue hoc casu $\frac{10}{15}$, aequet; Trientem vero 500 thalerorum praedii Tauchensis pretium 400 thalerorum, et molendini pneumatici 100 thal. comprehendere. Ponamus deinde, vt faciliori modo res perspici possit, bona vxoris superstitis, deducto aere alieno, quoque ad pretium 1500 Ioachimicorum surgere. Tunc portio eius statutaria, partis illius, quae Ploesensium iure venit, est 500 thalerorum, pars scilicet dimidia illorum 1000 thal., siue $\frac{10}{15}$ hereditatis, et quidem sine collatione. Conferet enim vidua solum intuitu praedii Tauchensis et molae pneumaticae; et cum illud 400 th., $\frac{4}{15}$, haec autem 100 th., ergo $\frac{4}{15}$ hereditatis, contineat, vxor quoque respectu illius $\frac{4}{15}$, et huius causa $\frac{1}{15}$, siue tertiam solum partem bonorum suorum, immittere tenetur. Et cum pretium horum conferendorum in dato casu etiam in 400 et in 100 th. consistat, Tauchensis hereditas ad 800, et illa, quae molam pneumaticam respicit, ad 200 th. crescet; portio vero statutaria in priori tertia, in posteriori vero quarta pars erit istius quotae; ita, vt pretium rerum, quae hac ratione viduae cedant, sit 500 thalerorum siue dimidia ex Ploesensium, 266 th. 16 gr. siue tertia ex Tauchensium, et 50 th. siue quarta ex vltima parte hereditatis, et pretium totius portionis ad 816 thal. 16 gr., bonorum vero collatorum ad 500 thal. adcedat.

C

Haec

Haec quidem praefari placuit, cum indicendi essent summi in utroque iure honores,

V I R O

PRAECLARISSIMO ET DOCTISSIMO

D O M I N O

DANIELI EBERHARDO LOEHR

IVRIS VTRIVSQUE BACCALAVREO

cam spe, obtinendi suo tempore et ordine locum in collegio nostro, a nobis collati, qui de vita sua, laudabiliter adhuc peracta, haec nobis exposuit:

Natus sum Lipsiae anno huius seculi septuagesimo primo, patre EBERHARDO HENRICO, senatore et mercatore, matre RAHELE CHARLOTTA, e gente BARTHELIA, quos parentes ut deus semper felices esse iubeat, omni pietate precor. In literarum initiis religionisque praeceptis a HOFFMANNO, HUNDIO et STOLLIO, viris probitate spectatis, sum institutus. Pia semper memoria non solum colui, sed colam WOLFIVM, Kaue-
riae pastorem, qui opera sua per quinque fere annos adhibita effecit, ut Vitebergae anno huius seculi nonagesimo, ASSMANNO Academiae fasces tenente, inter ciues academicos receptus, in theoreticis et practicis Philosophiae partibus REINHARDVM, nunc concionatorem aulicum primarium, in notitia rerum gestarum vniuersali et particulari SCHROECKHIVM, in historia Iuris
Romani

Romani KOHLSCHÜTTERVM, in Institutionibus Iuris GREBELIVM, quorum omnium maxima in me sunt merita, praeceptores sequi possem. Non minus gratissimo animo per totam vitam adstrictus manebo sapientissimis Viris, quorum doctrina, anno nonagesimo primo in patriam reuersus, iam antea ab ECKIO anno octogesimo nono Rectore Magnifico inscriptus, sum vsus. Adii scholas CAESARIS et PLATNERI philosophicas, et WIELANDII historicas. Audiui SAMMETIVM, WIELANDVM et HEIDENREICHIVM in iure naturae, FLECKIVM, HAVBOLDVM, BIENERVM in Iure Romano; b. SCHOTTIVM in iure Germanico priuato et iure Criminali, in iure clientelari RAVIVM et BIENERVM, eundemque in iure Canonico et Iure publico I. R. G.; in ordine iudiciorum ciuiliu et criminalium explicando et BIENERVM et EINERTVM, in arte denique exactis iudicialibus referendi docenda EINERTVM auscultauit, quos omnes Deus semper summa beet felicitate. Annuat etiam votis amici mei WERNERI, cuius amicitiae et institutioni multa debere, publice fateor. Quo cursu academico fere peracto, disputatiuncula, de collatione Feudorum, BIENERO Praefide defensa, habitisque consuetis in L. 20. Cod. de administratione tut. et curat., et Cap. 14. X. de foro competente praelectionibus, in examine pro praxi et Candidatura simul Illustris ICtorum ordo primam iuris lauream mihi concessit. Denique postquam mihi contigit, in suprema Curia prouinciali Lipsiensi saluberrimis patriae conuentibus auditor interesse, iterum L. 1. Cod. de test. et Cap. III. X. de causa possessionis et proprietatis, praelectiones habendo illustratis, anno nonagesimo quinto examini rigoroso quod dicunt me subieci.

Hunc

Hunc igitur, qui superato magna cum laude utroque
 examine dissertationem solemnem *de iuribus et obligationibus*
contutorum nuper publice defendit, et lectiones consuetas pro
 gradu habuit, iuris utriusque Doctorem, NOSTRIS adscriptum,
 creauimus. Quae omnia rite peracta esse, maioris fidei causa
 hoc programme, sigillo Collegii nostri munito, significamus.
 P. P. Dominica VII. post Fest. Trinitatis MDCCLXXXV.

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.



Diss. jur. civ. 487, 32.